



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **XETAFENSIS*** IN HISPANIA NOVA ERIGITUR
DIOECESIS XATAFENSIS NOMINE Matritensem praeclaram Sedem frequentissima fidelium copia praestare omnes
sciunt conspicuumque inter Hispanas urbes obtinere locum, ad quam sollicitudinem Nostram vertimus peculiaribus
necessitatibus ecclesiastica Instituta aptantes, ut quam floridissima spiritali prosperitate christiani fruantur. Ideo quia
Venerabilis Frater Noster Angelus S. R. E. Cardinalis Suquía Goicoechea, illius Ecclesiae Archiepiscopus, Hispaniae
Conferentia episcopali audita, ab Apostolica Sede efflagitavit ut suae dicionis nonnullis territoriis seiunctis nova dioecesis
conderetur, postulatis his concedendum esse existimavimus, consentiente quoque Venerabili Fratre Mario Tagliaferri,
Archiepiscopo titulo Formiano et in Hispania Apostolico Nuntio, atque de consilio Congregationis pro Episcopis. Itaque
Apostolica Nostra usi potestate haec statuimus et decernimus. A Matritensi archidioecesi territoria separamus
municipiorum quae populari verbo dicuntur : El Alamo, Alcorcón, Aldea del Fresno, Aranjuez, Arroyomolinos, Batres,
Belmonte de Tajo, Boadilla del Monte, Brunete, Cadalso de los Vidrios, Casarrubuelos, Cenicientos, Ciempozuelos,
Colmenar del Arroyo, Colmenar de Oreja, Cubas, Chapineria, Chinchón, Fuenlabrada, Getafe, Grinón, Humanes de
Madrid, Leganés, Moraleja de Enmedio, Móstoles, Navalcarnero, Navas del Rey, Parla, Peiayos de la Presa, Pinto,
Quijornà, Rozas de Puerto Real, San Martín de la Vega, San Martín de Valdeiglesias, Serranillos del Valle, Sevillia la
Nueva, Titulcia, Torrejón de la Calzada, Torrejón de Velasco, Valdelaguna, Valdemoro, Villaconejos, Villa del Prado,
Villamanta, Villamantilla, Villanueva de la Cafiada, Villanueva de Perales, Villaviciosa de Odón. Ex his distractis territoriis
novam condimus dioecesim Xetafensem appellandam, iisdem conclusam finibus quibus predicta municipia terminantur.
Novae Ecclesiae episcopalem sedem in urbe ponimus quam « Getafe » vocant, templumque ibidem situm, idemque
Sanctae Mariae Magdalena dicatum, ad dignitatem cathedralis aedis evehimus. Xetafensi Episcopo pro tempore
honores et officia tribuimus quae ad ceteros Ordinarios locorum spectant. Constitutam dioecesim metropolitanae
Matritensi Sedi suffraganeam reddimus eiusdem Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi huius Ecclesiae pro tempore
subicimus. Consultores deligantur dioecesani ad iuris normam ipsi Episcopo validam opem laturi. Convenientem
sacrorum Antistitis sustentationem provideant Curiae emolumenta, fidelium oblationes et pars bonorum quae ad novam
dioecesim e divisis bonis archidioecesis Matritensis secundum normam can. 122 Codicis iuris canonici spectant. Ad
sacrorum alumnorum institutionem pracepta iuris communis serventur, ob oculos praescriptis Congregationis pro
Institutione Catholica habitis. Quidam seminarii tirones necnon sacerdotes in aliquibus disciplinis instituendi Romam
mittantur ad Pontificium Collegium Hispanicum. Quod autem ad novae dioecesis regimen pertinet, bonorum
ecclesiasticorum administrationem, administratoris sede vacante dioecesani electionem, fidelium iura et onera, aliaque
horum similia, sacri canones serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso
sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero clerci

seminariique tirones illi Sedi in cuius territorio legitimum domicilium habent, facta tamen facultate his intra quinquennium iusta de causa petendi, consentientibus Ordinariis quorum interest, ut ad aliam dioecesim provinciae ecclesiasticae Matritensis transeant. Acta et documenta quae conditam Sedem respiciunt a Curia Matritensi ad Curiam Xetafensem mittantur. Ad ea tandem perficienda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem legamus Marium Tagliaferri, quem supra memoravimus, data videlicet facultate subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Redemum peracta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis sedulo mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.

Prosecretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 12, pp. 1010-1012 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana